



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Polycarpus Ep. M. 26. Ianuarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

26.Ian. VITÆ SANCTORVM. 59
illis verbis, Stella MARIA maris hodie processit ad or-
tum: quandoque etiam ad cantus illos socius ad-
missus. Jam Kal.Jan.& Maii, quibus Suevia vel
Xeniis vel cantu certat, ille totos dies JESVM &
MARIAM sonare, flores Crucis dare, hanc osculis
fatigare; ut post tot amores manifestus iterum
JESVS HENRICI nomen in AMANDI mutarit, &
MARIA (cujus solo nomine in fugam orcum dabat)
humana nauseanti cælestem liquorem propinarit.
Cæterum (mecum mirare) hucusque in primo gra-
du virtutis consistere AMANDVM suum Christus
docuit, & Seraphinum alatum in cruce suâ indu-
tus docuit per adversa non ire, sed volare in cæ-
lum. Abhinc scortator, sacrorum fur, impostor,
veneficus audiit AMANDVS, ut succumbere po-
tuisset, nisi JESVS & MARIA Angeliique collo-
quiis suis identidem firmassent. His succollanti-
bus in cælos evasit, anno M.CCC.LXV. qui sequi
volunt, legant scandantque Rupes, quas scripsit.
Ex Ann. Ordin. Pred.

*Tristatur aliquis? veniat in cor ejus JESVS, & inde
saliat in os. & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum
omne diffugit, & redit serenum. Labitur quis in cri-
men, currit ad laqueum mortis, nonne si invocet nomen
vitæ, respirabit ad vitam?* S.Bern.sermon.15.Cant.

S. POLYCARPUS EP. M. 26.Ianuarii.

Antistes Smyrnensibus POLYCARPVIS à Divo
Joanne Apostolo datus est, eā apud omnes
fuisse auctoritate memoratur, ut subinde sperare
ausi sint Judæi, Christianos, misso Christo, POLY-
CARPVIS secuturos. Libertate quam Christianâ in
dicendo fuerit, argumento sit ejus cum Marcione
hæretico congressus, qui cùm ad conspectū suum

exhorrescere Divum videret, audaciâ linguam armante, *Nosce nos*, ait, *amabo*. At POLYCARPVVS, vulnu ad severitatem composite, id tantum respondebit, *Novi equidem primogenitum Sathanæ*. Cæterum Romæ cum degeret, divinitus de morte suâ edocetus, lictoribus obviam progreditur. Sub pugnæ initium voce è cælo animatur, jamque Christo male jussus dicere: *Qui*, inquit, male illi possum dicere, qui ipsos LXXX. annos famulanti sibi malil fecit unquam? Ergo ad rogam damnatur. Sed virtutem ipse absolvit ignis, dum tangere veritus structâ velut è flammis porticu ambit innocentem, nec jam lædit, sed tegit, suavissimum interim in adstantes odorem ejaculatus. Ad extremum gladio confossus sanguine ignem extinxit, nobili nimbo, & quem vel suis imbribus cælum præfert.
Ex Surio.

Quomodo tu hodie in mundo constitutus & cras tribunal Dei præsentandus audes blasphemiam proloqui? & non metuis ne fortè ignis de cælo descendat & te devoret; tuum os adversus omnipotentem aperis, neque vereris ne terra sub te disrumpatur & te absorbeat? S.Ephrem paræn.83.

S. JOANNES CHRYSOST. EPISC.

27.Ianuarii.

CHRYSOSTOMVM laudibus suis pingat alter Chrysostomus; nos umbram damus. Non dum Pontifex Byzantinus erat JOANNES, cum in ejus conspectum se dedit Apostolorum Princeps D.Joanne Evang.comite, & sanctioris potestatis ac magisterii indices claves illi ac librum obtulit. Et verò quid mirum, si hoc Doctore etiamnum orbis gaudeat, qui præceptorem magnum Paulum,